



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De obessa, quae dixit diabolum ligatum tribus verbis sacri canonis cap.  
13.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

Nondum vult altissimus. Interrogatus, quomodo intrasset, nec ipse respondit, nec mulierem respondere permisit; postea confessa est, ad vocem mariti sui in commotione animi sui dicentis: Vade diabolo, quòd intrare illum senserit per auriculam. Erat autem eade femina de Aquensi prouincia, & satis nota.

*Impro-  
cationis  
malæ ef-  
fectus.*

## CAPVT XII.

**H**OMO quidam iratus, sicut audiui à quodam Abbate, dixit filio suo: Vade diabolo, quem mox diabolus rapuit, & nusquam comparuit.

APOLLONIVS: Quid est quod filius punitus est ob peccatum patris, cum scriptura dicat: Filius non portabit iniquitatem patris? CÆSARIVS: Eadem, quæ de suprascripta muliere dixi, & hinc dico: vtrūque fieri permisit Deus propter exemplum, vt dum iracundi in vexatione vxoris, mariti audierint cruciatus cordis, & in raptu filij, patris dolores, animi sui furorē cohibeant, & a stultiloquio linguas suas compescant. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CÆSARIVS: Qui demones esse dubitat, energumenos attendat, quia dum per illorum ora diabolus loquitur, & in corporibus tam crudeliter debacchatur, manifestum præsentia suæ indicium illis demonstrat. APOLLONIVS: Verum dices, si nõ esset ibi simulatio. CÆSARIVS: Obsessos fuisse, saepe prodit Euangelium, produnt & Actus Apostolorum, & in multis locis vitæ vel passionis sanctorum. Quòd autem quidam propter quæstum se obsessos simulent, nõ nego; quòd verò in quibusdam nulla sit fictio, subiecto probabitur exemplo.

*Exec. 12.*

*Mat. 8. 9*

*12. 17.*

*Act. 5. 8.*

*16. 19.*

## CAPVT XIII.

**R**ETVLIT mihi Gerardus Præpositus Pleisensis, mulierem obsessam, multis bene notam, Sygeberg venisse gratia curationis: quæ cum in oratorio sancti Michaelis Archangeli de diuersis interrogaretur, & incideret metio de Lucifero apud inferos ligato, respòdit per os eius diabolus: Stulti, quibus catenis putatis magistrum meum ligatū in inferno: ferreis: nequaquã. Tria verba posita sunt in silentio Missæ, quibus ligatus est. Requentibus quibusdam

*Verè quos  
da à dia-  
bulo obsi-  
deri.*



ex fratribus, quæ sunt illa verba? dicere noluit, vel potius ausa non fuit, sed ait: Afferte mihi librum, & ego vobis ostendam illa. Allatus est ei liber missalis, & clausus porrectus; quem illa aperiens, primo ictu canonem inuenit, & digitum ponens super illum locum, Per ipsum, & cum ipso, & in ipso, in quibus memoria fit summe Trinitatis, ait: Ecce ista sunt tria illa verba, quibus ligatus est magister meus. Hoc audiētes ex monachis plures qui aderant, sciētes mulierem illiteratam esse, ædificati sunt valde, vim verborum intelligentes. Per Patrem enim, & cum Filio, & in Spiritu sancto, quorum opera indiuisa sunt, fortis ille ligatus est, & vasa eius direpta.

## CAPVT XIII.

**I**N festo omnium Sanctorum hoc anno, cum essem cum Priore meo in insula S. Nicolai, quæ vulgò Stuba vocatur, & est monasterium sancti monachii, vidimus ibi puellam ante aduētum nostrum obsessam, sed tunc tam beneficio reliquarum, quam sororum orationibus liberatam. De qua retulit nobis eiusdem cœnobij magistra, femina religiosa quòd die quadam, cum crudeliter ab immundo spiritu discerneretur, volens quidam clericus honestus illum probare, saccellum spinarum Dominicæ coronæ de tabula aurea, ea nesciente, tollens, & manu clausa super caput obsessæ tenens, maximos ei clamores excitauit. Cui cum dicerent circumstantes causam furoris eius ignorātes, quid clamas diabole, quid habes? respondit: Hoc quod fuit in capite altissimi, caput meum deprimat & pungit, & dicitis mihi quid clamas? Et ædificati sunt valde circumstantes, maximè sorores, duplicis rei habentes verum experimentum, videlicet quòd spinæ essent veræ, & quòd femina veraciter obsessa esset a Dæmone. Quòd si minus hæc duo tibi sufficiunt exempla, recordare illorum trium dæmoniorum in capitulo primo, secundo, atque tertio distinctionis tertiæ.

CAPVT